

**RECTOR & PROFESSORES P.
ILLUSTRIS SCHOLÆ BREMENSIS,**

invitant

ad eundas d. 9. Januarii

Exsequias

**Viri Nobilissimi Experientissimi
& Clarissimi**

Collegæ Honoratissimi

**LUDOLPHI HENRICI
RUNGII,**

Med. Doctoris, Ejus nec non Logices, Metaphysicæ & Physicæ per

44 annos Professoris, Practici felicissimi

Reipublicæ per annos 41. Archiatri

&

totius Gymnasii Senioris

Nati Cappeliæ in comitatu Lippiaco, A. MDCLXXXVIII. d. 26. April.

Denati Bremæ A. MDCCLX. d. 5 Jan.

Æt. A. LXXI. M. VIII. D. X.

BREMÆ,

Typis, Viduæ b. H. C. Jani, quondam Illustr. Gymnasii Typograph.



ad curas d. p. Januarii

Exequias

Viri Nobilissimi Expetentissimi

& Clarissimi

Collegæ Honoratissimi



De artis, ut summo jure audit, salutiferæ dignitate, illamque exercentium meritis honoribus, quicquid hoc seculo, classicum canente *MIDDLETONO* (*de Medicis servis*) disputatum fuerit, lis facile componetur, si rite distinguantur cum gentibus, secula. Nihil prorsus in ejus detrimentum cedit, quod temporibus, quibus Romani luxu diffluebant, medicinam fecerint mancipia, ex herorum instituto, illam, nisi potius quasdam ut audiunt operationes chirurgicas, edocta. Atque ac in præsentis ævo, famæ Medicorum id nil quicquam detrahit, quod exerceatur, a circumforaneis, agyrtis & empyricis, ad quorum decempedam inique prorsus exiguntur, solidi, doctrina multivaria, & ad ejus amussim, experientia exculti Medici. Documentum est stultitiæ, genus humanum, sive quod rectius dicitur infantiæ, protervos in illo plurimos occupantis, qua petulanter insultant vivi & sani, ministris illarum scientiarum, quarum ope decumbentes, anxie sublevari cupiunt, sive remediis adversus morbos, sive adversus morsus conscientiæ. Honores Medicorum, quos apud cultos populos, vere eruditi & ingenui, nec ad fallacem cynosuram diverbii dat *Galenus opes* &c. in transversum acti, ex prudentum judicio retulerunt, indicat Collega quondam noster Doctissimus, *HENRICUS LAMPE*, (*dissert. inaugurali*, multa lectione refertissima, *de honoribus & privilegiis Medicorum*) Nos prætermittentes, allata ibi, quæ de pretio Medicis, sed veri nominis, inter populos Orientis, inter ipsos Græcos, in antiquissimo ævo *Chironi*, *Machaoni*, *Hippocrati* aliisque tributo, deque encomiis ipsorum, *totum librum XIII. ANTHOLOGIÆ* implentibus, magis seriis imo severioribus intenti, scribentis de obitu Viri per plures annos, de republica atque schola nostra meritisimi, animum intendimus ad consuetudines populi Dei, in quo memorante *SYRACIDE* Medicis ante Sospitatoris adventum suis constitit debitus honor (Cap. XXXVIII.) Vilisne habita aut servilis, ars, quam *Esaias*, regio sanguine cretus exercuit, applicando medicamina decumbenti regi *Hiskia*, (Ez. XXXVIII. 1, 21.) & manifestum omni modo reddendo, munus Archiatri, in denuntiatione proximæ mortis, quam fecit, neutiquam tanquam vates ex mandato divino, sed tanquam Medicus, humano utens judicio atque experientia. Quod vero dignitatem hanc firmissime adstruit, in eo positum esse judicamus, Deum T. O. M. & divinum nostrum Sospitatorum, personam Medici induisse, imo & sustinuisse, dum vel providam curam, in pellendis a populo suo morbis ut & in ejus conservatione, pollicentur, vel beneficia summa a quibus animarum salus pendet, in sacris oraculis ob oculos posuere, vel & ipsis miraculis, difficillimas quin insanabiles

biles plagas devicerunt. Qui decorum divinum, simul & majestatem stili
facri novit, is persuasus erit satis superque, symbola sub quibus res di-
vinæ factaque Dei proponuntur, neququam a rebus pro abjectis habitis,
petita esse, ideo & de existimatione in qua fuerunt Medici, artis suæ
probe gnari illamque rite tractantes. Divinus Imperator Israelis ex ser-
vitate Aegyptiaca egressi, pathetice gentem in spem erigit, promittendo
sefe ei nullum immisurum morbum quem Aegyptiis importasset. (Exod.
XV, 26.) *Ego enim Jehova sum Medicus Tuus.* Testis ille fidelis & verax,
qui vitam e morte eduxit, suadet angelo Ecclesiae Laodicensis, *me a me
collyrium oculis illinendum, ut cernas,* qua de re vide congrua plurima,
medicamina oculorum apud antiquos spectantia apud ZORNIUM (*Opusc.
Tom. II. pag. 552. seq.*) et & WEDELIUM (*præfat. præmissa Decadi V.
Exercit: Medico Philol. & insertam ibi ALEXANDRI MAUROCORDATI,
Archiatri Imperatoris Turcici epistolam*) Quam docte, sincere & prudent-
ter, Medicus morbis affectis opem ferat, opis hujus caelestis Medici ipse
indigus, qui morbos nostros ipse tulit & dolores toleravit, ob peccata nostra
contusus, *cujus vibicibus sanati sumus,* illius vero particeps, uti Deo redditur
gratus, sicuti hominibus arte sua acceptus fuit, omne fert existimationis
punctum, laude maectatus in terris & gloria vestitus in coelis. Dignita-
tem hominum in hac vita, non adeo constituunt, munera & negotia, quam
acquisita in illis merita. Dignissima ideo erit memoria *Viri Praeclaris-
simi,* cujus nomen, natales, munera, atque obitum in fronte tabulae de-
signavimus, ex meritis gloriaque per tot annorum sparia, partis. Satus
Parente Viro Plurimum Reverendo & Doctissimo GEORGIO RUNGE,
Pastore coetus Cappeliensis in comitatu Lippiaco; *Mitre T. T. MARIA
GERTRUDE PERIZONIA, Avo T. T. JOHANNES RUNGE,* Pastore
Coetus Almerodensis in Hasfia. *Avus in gente materna fuit T. T. HEN-
RICUS PERIZONIUS,* Pastor Coetus Heiligenkirchze diocesis Lippiacæ,
Proavus ANTONIUS PERIZONIUS Pastor Cappeliensis, *Abavus GER-
HARDUS PERIZONIUS,* Jctus, qui ex gente illa primum inclaruit, &
fundamenta celebritatis hujus nominis jecit. Parentes observantes in tenella
æstate, emicantes ingenii scintillas, scientiis illum dicarunt, bono & sue-
cessu neququam destituito consilio. Præparatus in schola Detmoldiensi &
Ao. 1704. in disciplinam privatam traditus Viri eruditi *Philippi Neuburg,*
postmodum Superintendentis Maxime venerandi, & probe excultus in
litteris elegantioribus, exteris salutatum ivit Musas, & quidem primo Ao.
1706. m. Augusto Harderovicenses, quas ea de causa elegit, ut exemplo
& consilio, fratris natu majoris JOHANNIS CONRADI RUNGE, illas
tunc colentis, postmodum in Harderovicena dein & Franekerana Aca-
demia Professoris celeberrimi, juvaretur. Audivit ibi per biennium Viros
Clarissimos, in Philologicis *Janssonium ab Almelooven,* in Philosophicis *Cornelium van Houten* & in Medicis *Ernestum VVilhelmam VVestenberg.* Huc
Bremam allectus fama Virorum Clarissimorum, scholam nostram tunc il-
lustrantium, *Cappelnii & Tilingii,* ab ore eorum per tres annos pependit
& quo copias collectæ eruditionis augetur A. 1711. in almam Lugdunen-
sem se contulit, ductu *Deckeri, Bidlot, Albini,* atque immortalis *Boerbavii*
studiis Academicis colophonem imposuit, postquam ex *Antonii Perizonii,*
at quanti Viri! quocum sanguinis vinculis erat junctus, institutionibus, pri-
vatis æque ac publicis feliciter profecerat, quocum & æque ac cum *Boer-
havio,* amicitiam per commercium litterarum, usque ad vitæ illorum fi-
nem, magno suo emolumento coluit. Lauream Doctorem impetravit
Harderovici Ao. 1712. d. 28 Junii, defensa *disputatione inaugurali,* quam
scripserat, *de differentiis actionibus, quæ exercentur in corpore humano, ab
alimentis, medicamentis & venenis.* Lemgovia praxin Medicam coepit
exercere, cumque nomen ejus mature inclareretur, Procures nostri, ad
clavum Civitatis tunc sedentes, & flori Gymnasii invigilantes illum vo-
carunt ad ornandam provinciam Professoris Philosophiæ rationalis, Physi-
ces & Medicinæ, quam dicta oratione, dein typis exscripta, *de satis &
mutationibus, quibus obnoxia fuit ars medica cum scientia naturali, ratione
utriusque ortus & progressus, ad bodiernum usque illarum statum,* suscepit
A. 1716. d. 29 Januarii, & administravit, summa usque ad senectam dili-
gentia, instituendo, disputando, Anatomem & experimenta demonstrando
publice. Accessit A. 1719. d. 13 Januarii, dignitas Physici Reipublicæ:
Uii

Uti in studiis & inde pendentibus fortunis, supremi Numinis benignitatem expertus est, sic & eandem sensit in rebus domesticis. Sacris conjugii vinculis nexus est A. 1724. d. 2 Mart. cum Virgine tunc lectissima, vidua nunc moerentissima LUCIA ELISABETHA KLUGKIST Viri Nobilissimi & Consultissimi DIDERICI KLUGKIST J. U. D. & Senatoris Amplissimi atque Matronæ Nobilissimæ ELISABETHÆ BALTZER filia primogenita. Proles inde orta quina, in B. defuncti dum superabat solamen florens aut succrescens, est

I. Primogenitus Vir Nobilissimus Consultissimus & Clarissimus DIDERICUS RUNGE J. V. D. & Profesor P. Collega noster honoratissimus, natus A. 1725. d. 22 Febr. in improbi ab A. 1752. vixit conjugio A. 1757. obitu conjugis dilectissimæ soluto, cum virgine tunc spectatissima TIBETHA GERTRUDE FRESEN, T. T. CONRADI, Mercatoris felicissimi & T. T. BARBARÆ WAGNER, filia.

II. Vir Nobilissimus Experientissimus & Clarissimus JOHANNES GEORGIUS RUNGE natus A. 1726. d. 13 Novembris Med. D. Anatomiae & Physices Experimentalis Prof. P. Collega æstumatissimus iridem hujus Reip. & R. Britannicæ Majestatis & Electoralis Brunsvico Luneburgensis Serenitatis, Physicus in tractibus Ducatus Bremensis, vivens in concordi conjugio, cum Matrona spectabili REGINA AGNETHA SCHACHT, T. T. CHRISTIANI SCHACHT, Magnarii & Collegii Seniorum sodalis, atque REGINÆ AGNETHÆ FOCKEN, filia matre trium liberorum, LUDOLPHI HENRICI, REGINÆ & LUDOLPHI HENRICI, solo postremo superstite nato A. 1758. d. 10 Nov.

III. Virgo lectissima ELISABETHA, nata A. 1729. d. 15 Febr.

IV. Vir Plurimum Reverendus & Doctissimus CONRADUS HENRICUS RUNGE S. Th. D. & Coetus Reformati Cellensis Pastor fidelissimus, Societatisque Scientiarum Regiæ Göttingensis, ut dicitur Correspondens, natus A. 1731. d. 12 Octobr.

V. Vir juvenis Ornatus Ludolphus Henricus Hieronymus Runge nat. A. 1744. d. 12 April. Elegantiarum Litterarum Cultor, spem amplissimam de se movens.

Beneficiorum divinatorum, quæ vivus dignis prædicavit laudibus, cumulum expertus est & inter illa grata mente agnovit, quod familia ejus ex nullo funere, ipso superstite, luctu fuerit pullata: Animi virtutes norunt omnes, quibuscum ut Doctus, Amicus & Medicus versatus est, & quam ingens est copia illorum, qui ab ejus ore pependerunt? Vir eruditus, nulla pervicacia in transversum actus; in scientia quotidie nova incrementa capiente, nequiquam sprevit, debita aliorum industria inventa. Tenero amore erga decumbentes affectus, magis studuit illorum commodis, quam privatis. Fidus amicitiae cultor, optimus Pater familias commodorum liberorum providus, bonus civis, alterius Patriæ in qua vivebat amantissimus, fidei Christianæ professionem ornabat moribus ad amussim ejus compositis, & persuasus de ejus veritate non ex superstitione aut credulitate, sed ex adcurato examine, morum exemplo expresit, quæ injuncta esse a divino Sospiatore intellexerat. In lectulo emortuali, vitæ pie transactæ dedit documenta, voluntati Dei patienter succumbendo nec illam prætereundo ullis votis, sed mortem oppetendo suspiriis fide plenis. Robusta satis usus valetudine, intercepta quidem aliquoties symptomatibus hæmorrhoidalibus, catharris & spasms stomachi; ingravescente senectæ, ex laborum concatenatione debilitationem virium sensit. Accesit elapso anno, circa paschales ferias casus apoplecticus, depulsus quidem, sed non prorsus. Insequēbatur febris quotidiana intermittens, qua ad tempus cessante, asthma, pus excretum, cum aliis indicis prodiderunt, malum in pulmonibus latere, hinc phthisi pulmonali, conjuncta cum vomitu, asthma, & sputo purulento confectus, animam Deo reddidit in meridie d. 5tæ hujus mensis. Colite Cives nostri memoriam viri de re Medica per tot annos meritisissimi, testando frequenti & modesta funeris comitatione, venerandam, quod nulli dubitamus, vobis esse talium senum recordationem. Condentur exuviæ hodie sub horam I. in templo B. V. Val. Pos d. 9 Jan. A. MDCCCLX.

